

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0658

0656

0662

0652

0667

0647

0707

0607

0757

0557

0157

Ende

Anfang

85

contra montem Oliveti, in cuius accubitu est sita, horti et pomaria et viridaria sunt pulcherrima. In hac planicie est castellum Bethania, dependens ad montem Oliveti, a quo protenditur usque in planitem, quae planities est petrosa latissimis et planis petris, ac si esset pavimentata arte. In locis vero, ubi non est humus petris obductus, stant olivae et alia fructifera virgulta. Sunt etiam in ipsa planicie multae cisternae in profundis per durissima saxa incisae. Processimus ergo in planicie contra Bethaniam et ante castellum ad unum lapidem erectum venimus ita positum, quod quis super eum sedere potest; est tamen lapis immobilis, de profundo terrae consurgens, et est durissimus. Super hunc lapidem dicitur Dominus Jesus sedisse, quando mortuo Lazaro ascendit de regione Jordanis, et ante ingressum castelli consedit, ubi Martha ad eum venit, et fidelissimum dialogum ibi habuit cum Domino Iesu de fide, de resurrectione, de vita aeterna. Similiter et Maria Magdalena ad hunc locum Christo occurrit obvia, flens, cum absentem fuisse in morte Lazari fratris sui; de quibus habetur Johannis XI. In hoc ergo loco sacro stetimus et Officium signatum in processionali persolvimus et hoc facto in terram nos prostravimus et locum deosculatus sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). In hoc sacro loco Dominus lacrimas fudit, se ipsum turbavit ad fletum duarum sororum, unde cantatur de eis: O felicis soror utraque meriti, quarum lacrimis est motus fons ipse pietatis. Credo, quod in hoc loco ante tempora steterit capella vel aliqua ecclesia.

#### De domo et apotheca S. Mariae Magdalene.

Ab hoc loco processimus ad dextram partem ad jactum arcus et ad unam antiquam destructam ecclesiam venimus, quae in loco stat, ubi erat habitatio sanctae Mariae Magdalene singulariter. Fuerunt enim divites, Lazarus, Maria Magdalena et Martha, et habebant plures habitationes, in castello et extra castellum, et in Jerusalem, et castrum Magdalum in Galilaea. Haec autem domus erat Mariae Magdalene, et post conversionem suam (B) in ea fuit

